

Kreis
Paderborn

S. 155

1243 Juni 19. Paderborn.

[47

Bischof Bernhard IV. v. B. gibt den Zehnten zu Dintelburg, auf den der damit belehnte Graf Adolf von Waldeck verzichtet hatte, an das Kloster Hardehausen.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Bernhardus quartus Dei gratia episcopus universis Christi fidelibus in perpetuum. Gesta rei memoria processu temporum evanescit, quam nec lingua testium nec scripturarum munimina confirmabunt. Notum sit universis Christi fidelibus, quod dominus Adolfus vir nobilis de Walbecke decimam in Thinkelberg, quam a nobis iure tenuit pheodali, consensu haeredum suorum nobis per literas suas sigillatas absolute et liberaliter resignavit, ea videlicet interposita conditione, ut eandem decimam monasteriorum in Hersw(idehusen) quiete possideat in aeternum. Nos igitur viri tam nobilis factum in domino commendamus, et quia talis decimae resignatio ad nostram praesentiam et tam rationabiliter devoluta, respectu paternae compassionis et spe divinae remunerationis saepedictae decimae proprietatem monasterio in Herswid(ehusen) in aeternum conferimus possidendam. Ne autem alicuius protervitas huic nostro facto praesumat esse contraria in futuro, praesentem paginam nostrae donationis ordinem continentem in memoriale sempiternum sigilli nostri munimine confirmamus. Si qui vero in posterum ex temeritatis suae audacia hoc factum nostrum praesumpserint infirmare, auctoritate nostra et Dei sciant anathematis vinculos innodatos. Datum Paderbornae XIII Kal. Julii pontificatus nostri anno XV.

Acta sunt haec in ecclesia Paderbornensi anno dominicae incarnationis MCCXLIII, indictione prima.

VII, 58. Erwähnt Schaten ad ann.